

quem expoliare malit, relinquentes. Neque timor est aliquis, ut ^{a)} qui rebus ecclesiasticis ab ^{b)} episcopo nudatus fuerit, per fortitudinem secularium, nisi supplex et humilis, ad eas aspirare possit. Inter nos autem si de iusticia ^{c)} sanctæ Dei ecclesiæ episcopus vel mutire presumpserit, non solum ^{d)} de rebus, sed de vita illius quemlibet profanum minas inferre vilissimum est. Tu ergo eo tempore querimoniari cepisti ^{e)}, de quo psalmista canit ¹⁾: *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum ^{f)} et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.* Et de quo Salomon ^{g)} dicit ²⁾: *Cum impii sumpserint principatum, gemet populus.* Rursus quoque considero quod idem dicit Salomon ^{h)} ³⁾: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butirum ⁱ⁾, et qui vehementer emungitur ^{k)}, elicit sanguinem, et qui provocat iras, producit discordias.* Itaque dum desideramus lac vel butirum ⁱ⁾ elicere, forte dicemur a quibusdam iras et discordias provocare.

Theophilus. Paulo apostolo Hierusalem ^{l)} profecturo ^{m)} *Agabus propheta zona illius sibi manus et pedes alligavit dicens ⁴⁾: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt ⁿ⁾ Iudei in Hierusalem ^{l)}.* Quod cum audissent fideles, qui presentes erant, flentes et lugentes dicebant ^{o)} Paulo, *ne ascenderet ^{p)} Hierusalem ^{l)}.* Sed Paulus respondit dicens: *Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum in nomine domini mei ^{q)} Iesu Christi.* Certe Christus est veritas ⁵⁾. Quæ pars ergo constantiæ in nobis invenietur, si pro veritate verba calumpniatorum ^{r)} metuimus? quid in verberibus, quid etiam in ipsa morte faceremus? Patres nostri per *artam* ^{s)} et *angustam viam* transierunt ⁶⁾, nos autem, qui amplam et *latam* diligimus, adversariis veritatis resistere non presumpsimus.

Veruntamen ^{t)} quia ista in quorundam persona per excessum locuti sumus, longe a proposito digressi videbimur, cum propositum sit de

^{a)} so em. D; vel ABC. ^{b)} b über der Zeile nachgetragen A. ^{c)} iustitia C. ^{d)} es folgt autem B. ^{e)} coepisti C. ^{f)} fenum B. ^{g)} aus Salomon korr. A. ^{h)} Salomon BC. ⁱ⁾ butyrum C. ^{k)} emungit C (= Vulg.). ^{l)} Iherusalem B. ^{m)} aus profectore korr. A. ⁿ⁾ aus alligabit korr. A. ^{o)} Rasur zwischen e und b A; dicenbant B. ^{p)} ascenderet in B. ^{q)} i über der Zeile nachgetragen A. ^{r)} calumniatorum C. ^{s)} arctam C. ^{t)} verūtām B; verumtamen C.

¹⁾ Ps. 91, 8 (D).

²⁾ Prov. 29, 2 (D).

³⁾ Prov. 30, 33 (D).

⁴⁾ Act. 21, 10—13 (D).

⁵⁾ Cf. Job. 14, 6 (D).

⁶⁾ Cf. Matth. 7, 13. 14 (D).